

3219

C O D I C E S

3220

quod narret ab hoc Pontifice collectum numerum Paparum, Cardinalium, Archiepiscoporum &c. ex Ordine S. Benedicti. Ceterum in castris Roberti Lincoln. Guilelmi a S. Amore et Richardi Armacb. totus est.

XXI. fol. 421. Collectio variarum Precum ad Deum et Coelites, quae hic quidem inscriptae sunt: *Orationes de veteri testamento valde bone*, verum jam p. 4. ad Novum transeunt. In calce jacet istud ἐπιφωνημα: *Complete sunt orationes iste per manus fratris Michabelis kalczinger de Ratispona ordinis fratrum predicatorum Sub Anno Domini M^o. CCCC^o. XXVIII^o. In die sancte Eufemie virginis. Orate pro eo.*

XXII. fol. 469. Hymni aliquot *Ecclesiastici* cum declaratione, seu, ut in Editionibus Sec. XV. adpellatur, *Commento*. Primus est: *Conditor alme siderum* &c. ut in Dom. Adventus ad Vesperas.

XXIII. fol. 481. Commentariolus de Studio orandi, cujus Thema: *Domine doce nos orare. Luc. II.* et initium: *Orationibus instate horis et temporibus constitutis et secundum apostolum, sine intermissione orate, sine intermissione autem orare est omnia sua opera et exercitia supernaturalia et temporalia actualiter aut virtualiter in deum tanquam in ultimum finem referre* &c.

XXIV. fol. 483. Sermo ad *Cartusianos* de Observantia Statutorum in illud: *Beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud.*

Luc. II. Initium: *Vt quia moderno tempore quod sine dolore et pauore nec dici potest nec audiri a pijs ac deuotis auribus in bello viciorum atque virtutum religiosorum maior pars ignorantia infirmitate aut malicia miserabiliter succumbunt* &c. Scriptionis tempus liquet mox ab ingressu, ubi, postquam VII. *Ecclesiae tribulationes* ex *Apocalypsi* eruisset, ita profertur: *Ita ponit Henricus de Hassia in quodam tractatu super missa et in tractatu de ruina ecclesie et petrus Cardinalis cameracen. in quodam sermone ubi dicit quod illa 4^a tribulatio incepit ab anno domini M^o C^o et durabit vsque ad quoddam magnum scisma — quod scisma verisimiliter modo est quia tale prius nunquam fuit ab inicio ecclesie* &c. Per decursum mentio fit etiam *Statutorum Guidonis* seu *Guigonis Prioris Gen. V. Cartusiae.*

DCCCCLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 636 XV. Folior. 423. 4. olim antiquissimi Coenobii ad D. *Pantaleonem* O. S. B. *Coloniae* Varia variis manibus exarata complectitur, quae ordine notabimus. I. *Questio notabilis*. Ita inscribitur *Dissertatio* seu *Quodlibet* de Potestate Papae et Ecclesiae seu Concilii generalis, cujus initium: *Utrum pontifex summus papa potestate sit peditus ad omnia quibus gubernatur ecclesia* &c. Concilio primas dat Autor ἀνωνυμος, addit tamen sub finem: *Sed licet modo concluderim concilium esse supra papam,*
ta-

tamen videndum esset an id indistincte veritatem habeat &c. Post tempora Concilii Constantiensis et Basileensis diseruisse eum, mentio utriusque Concilii probat.

II. fol. 28. sequitur alia Differtatio, cujus Scopus: quod papa prestit toti militanti ecclesie simul accepte seu collectim et pariter sumpte. Initium: Pro iusticia agnoscere pro anima tua &c. Quemadmodum 2^o de officijs tulus loquitur. Omnia facta celeriter tanquam flosculi decidunt &c. Articulis XVI. negotium transfigitur. Sub principium ignotus Autor alterius Opusculi sui meminit, quod incipit: Confiteor tibi pater domine celi et terre &c. in quo ostendisse se ait: quomodo presidentia summi pontificis super totam ecclesiam simul sumptam generalium auctoritati conciliorum nullatenus derogat.

III. fol. 38. Differtatio de Auctoritate Concilii Generalis et Rebus Basileensibus, quae VI. Considerationibus constat, et incipit: Sancte ecclesie vniuersali deo militantique in presenti opusculo venit comparanda &c. jamque Cod. praeced. recensita est.

IV. fol. 93. absque inscriptione Homilia Job. Chrysostomi, quae legitur in Edit. Opp. lat. Paris. 1687. T. V. p. 382. f. et incipit: Multi quidem fluxus et unde immanes &c.

V. fol. 94. Incipit alia omelia beati Iohannis Crisostomi. Videlicet: Hodie nobis facta est terra celum. Edit. mox cit. T. III. p. 363. Ad calcem legitur: Explicit — de aduentu spiritus sancti et

est in ordine XVII. et bene facit pro auctoritate ecclesie. En igitur, cur huc transcripta.

VI. fol. 95. p. 2. De potestate ecclesie vniuersalis supra papam breuissima exhortatio facta per dominum ludovicum de roma protbonotarium in generali congregatione concilij basilien. Alphonso Aragonii Legatum ad Concilium una cum Nicolao Siculo agebat Ludovicus hic ICTus Spoletanus a diuturno domicilio dictus Romanus, defunctus Basileae in flore aetatis a. 1439. ut testatur Epitaphium relatum a Panzirolo de clar. LL. Interpretib. L. II. c. 94. et Fichardo in Vitt. ICTor. Adi, si lubet, de eo et Aen. Silvii de Gest. Basil. Conc. L. I. Horat. item Mandosii Elogium praefixum Editioni Venetae Consiliorum Ludovici 1581. f. et Prosp. Mandosii Bibl. Rom. T. I. p. 348. Exhortationis initium: Omnipotentis Dei postulato suffragio. Beatissimus papa sixtus cum a quodam basso nomine criminaretur &c. Meminit Scripti hujus cum variis aliis Pontani Dom. Mansius in suis ad Fabricii Bibl. med. Lat. additionibus L. XI. p. 290. sed ex alio Codice nostro, qui inter Autores Juris Can. servatur. Adtextae sunt Auctoritates sacrorum Conciliorum et sanctorum Doctorum, quibus ostenditur: quod concilium generale in spiritu sancto legitime congregatum vniuersalem ecclesiam representans clauas a christo ligandi et soluendi acceperit, quas ab eodem Pontano lectas autumo.

3223

C O D I C E S

3224

VII. fol. 98. p. 2. *Questio per Reuerendum patrem dominum ludovicum de roma prothonotarium facta, an ad depoficionem pape incorrigibilis procedi possit. Initium: Questio discutienda est. Nunquid aduersus papam incorrigibiliter &c. Respondetur affirmando, addito tamen in calce: Et hec de presenti questione dicta sufficiant, prout ad merum iuristam pertinet. Notavit Mansius e fonte supracit.*

VIII. fol. 101. p. 2. *Propositio Reuerendi patris d. Ludovici de Roma Apostolice sedis prothonotarij. Ad reuerendum patrem et illustrem principem d. Archiepiscopum Colonien. facta, dum ad ipsum orator accederet sacri basilien. concilij. Initium: Reuerendissime &c. Sancta catholica ecclesia apud sanctam basilien. synodum representata legitime — salutatur vos et benedicit &c. Omnibus modis agit, ut Theodoricum, qui partes neutras amplexus erat, Synodo adjungat. Multa ad Concilii historiam subpeditat haec Oratio, quam itidem excitat Mansius.*

IX. fol. 105. p. 2. *Propositio facta — per eundem — apud illustrem principem d. philippum ducem burgundie. Anno domini M^o CCCC^o XXXVIII. die XXV. III. (Mensis?) in opido bruxellen. ducatus brabantie. Incipit: Illustrissime &c. Sancta catholica et uniuersalis ecclesia per sanctam basilien. synodum representata legitime &c. Tota paene Oratio in laudibus Philippi versatur initio ducto a corporis speciosissima forma, laboratque in eo Basileensibus con-*

ciliando; unde sub finem: Noli igitur confidere in eorum mendacijs, qui tibi falsis persuadent rationibus ferrarie existere concilium generale. — Noli arbitrari licitum tibi fore in duas partes claudicare &c. Habile sane instrumentum Synodi fuisse oportet Pontanum, unde et laudes repetas, quibus eum loco suprac. maectat Aen. Silvius. Hujus etiam Orationis ἐπιτελεσθῆναι edit Mansius.

X. fol. 110. p. 2. *Propositio facta bituricis anno domini M^o CCCC^o XXXVIII. de mense Junij coram Rege francie (Carolo VII.) et prelatibus ecclesiam gallicanam representantibus ibi congregatis. per organum domini Thome de corcellis unius ex oratoribus sacri basilien. concilij ibi pro iustificatione concilij missis. Initium: Ingentissimam consolacionem ecclesie dei tribuit hoc tempore vestra maiestas &c. De Conventu hoc Bituricensi videri potest Collect. Concill. Labbei T. XVII. edit. Venet. col. 1365. De Oratore nostro dicam ad Cod. DCCCCLXXIII. Praesens ejus Adlocutio integra non est; notatur enim ad calcem: Hic deficit 4^a pars videlicet petitiones.*

XI. fol. 115. p. 2. *Anno domini M^o CCCC^o XXXVIII. Postquam coram rege francie et prelatibus in bituricis congregatis propositio tam ex parte concilij basilien. quam domini pape eugenij facte fuissent. et deliberatum et quod ipse rex auctoritatem ecclesie defendere vellet per regem responsum extitisset. Unus oratorum domini pape epi-*

episcopus dignensis (Petrus de Vercellis) in presencia dominorum prelatorum et ceterorum principum non tamen regis. plura contra auctoritatem supremam generalium conciliorum exposuit. Ad que pro parte sancti concilij per organum M. thome de corcellis sacre theologie doctoris unius ex ambasiatoribus concilij basilien. predicti extitit responsum, ut infra sequitur. En igitur Scripta duo Conventum Bituricensis illustrantia. Initium praesentis: *Illustrissimi &c. Incumbit nobis ex legationis officio &c.*

XII. fol. 119. Tractatus de Auctoritate Concilii Generalis supra Papam pro Concilio Basileensi divisus in XVI. Propositiones, Aduertencias siue Capitula. Cujus initium: *Videtur modestia imperantis paterne iussionis cui resistere non licebat &c.* In Cod. DCXLI. tribuitur Bartholomaeo Traiectensi Carthusiae Ruraemundanae Priori, qui annum 1446. supremum habuit, teste Petrejo in *Biblioth. Carth.* p. 18. ubi pariter hunc Tractatum ei tribui video, quem tamen Tritheimius in *Scriptt. Eccl.* n. 799. dissimulat.

XIII. fol. 131. *Responso sacri concilij basilien. vniuersalem ecclesiam representantis Oratoribus Serenissimi principis domini frederici romanorum regis nec non Reuerendissimorum patrum et illustrium principum dominorum electorum sacri romani imperij in congregatione generali huius sacri concilij conciliariter facta ad petitionem per eos porrectam, cujus tenor sequitur et*

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

est talis. Petunt videlicet: quatenus modis congruis ad generalis concilij ab omnibus indubitati congregationem infra unius anni spacium perueniatur, loco siue Maiestati et suis principibus electoribus grato rebus gerendis accommodo. Responsum porro Concilii Basileam aegre deserentis legitur in Mansii Supplem. T. V. col. 25. summam, ut hic; fuse vero deductum T. XVII. Collect. Labb. edit. Venet. col. 569.

XIV. fol. 132. p. 2. *Responso Gabrielis olim Eugenij pape IV. Oratoribus romanorum regis et electorum imperii facta. Initium: De venerabilium fratrum nostrorum sancte romane ecclesie cardinalium consilio respondemus ut sequitur. Desiderium carissimi in christo filij nostri in romanorum regem electi &c.* Suboffenditur Eugenius, quod Concilium indubitatum petatur; promittit tamen, se cum Concilio suo in Lateranum transiturum ibique deliberaturum, an etiam aliud concilium numerosius indicere expediat. Notae loci et temporis absunt, neque Scriptum istud in Collectionibus supracit. reperio

XV. fol. 135. Considerationes quaedam de Statu ecclesiastico et civili Geldriae hoc initio: *Quia timui aliquorum instantem practicam, per quam virtus iusticie si poneretur in esse, atque videretur mirabilem iudicium, Ego humillimus ac deuotissimus capellanus serenissimi principis ac domini mei graciosissimi domini arnoldi Ducis gelrie professione et precepto me obligantibus spiritu me impellente quibus contraue-*

Z z

nire

3227

C O D I C E S

3228

nire non poteram calamus papiro applicui ad incartandum subscriptas considerationes &c. Sacerdotum maxime causa agitur haecenus; jam enim *Consideratione quarta* abrumperetur opusculum levis momenti. *Arnoldus* five *Arnulphus Egmondanus* obiit a. 1473.

XVI. fol. 139. *Ad sacrosanctam generalem Synodum Basiliensem dominica 3.^a post octavas pasche sermo fratris nicolai Jaqueri ordinis fratrum predicatorum.* Incipit: *Veritatis moralis verbum facturus vobis patribus &c.* Oratione tripartita Cardinalibus, dein Prae-latis et Pastoribus, demum Religiosis et Fratribus veritatem magna libertate inculcat e themate adsumto: *Ego veritatem dico vobis.*

XVII. fol. 143. *Sermo fratris nicolai ordinis predicatorum Dominica prima quadragesime.* In illud: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Initium: *Consideranti mihi quid huic sanctissimo recumbenti cetui dignum ministrarem, occurrit fericulum &c.* Uterque hic *Sermo* e *Cod. nostro* citatur a Bibliothecariis O. P. T. II. p. 823. postquam jam T. I. p. 847. de Autore *Burgundo Divionensi* egissent.

XVIII. fol. 153. *Sermo de sacra Religione et quod melius est bonum facere ex voto quam ex libera voluntate. Beati bernardini. Senensis* videlicet ex Ord. Minor. qui a. 1444. decessit, jamque a. 1450. a *Nicolao V.* ejusdem Professionis inter *Beatos* relatus est: Initium: *Fili tu semper mecum es et omnia mea tua sunt. Luce 15.*

Ad desiderabilem charitatem iterum atque iterum &c. Articulis tribus constat, quorum ultimus *Dialogo inter Magistrum et Discipulum* conceptus est, et legitur *Opp. omn.* edit. *Lugd.* 1650. T. II. p. 138. habitus *Sabbato post II. Dom. Quadragesimae.*

XIX. fol. 185. absque titulo *Tractatus de Humilitate*, qui incipit: *Pro declaratione materie humilitatis pono aliquas advertencias. Primo circa hoc quod humilitas generaliter sumpta secundum aliquos non videtur esse aliud quam generalis subiectio &c.* Si quid video, referendus est ad *Bartholomaeum Carthusianum*, de quo supra N. 12. Id enim et stilus et tractationis methodus, et *Petreti* Bibliotheca ibi cit. suadet, quae *Notrum de Humilitate* scripsisse disertè exprimit.

XX. fol. 199. absque Titulo *Tractatus prolixus contra Esu Carnium in Ordine S. Benedicti.* E rationibus modo dictis hunc quoque ad *Bartholomaeum Carth.* pertinere arbitror, quamvis in memorata *Bibliotheca De non Esu carniū apud Cistercienses* scripsisse dicatur. Initium vero: *Perturberet me pannositas intelligentie mee aggredi opus materie adeo ardue et profunde &c.* Opus V. *Considerationibus* absolvitur; in fine tamen *Epistola* deesse videtur, quam ad se datam ait Autor; definit enim: *ut clare colligere potestis ex copia litere quam michi direxit subscripta. Fol. 212. p. 2.* notavit alia manus: *De esu carniū non videtur tractatum meliorem et ad intentionem*

3229

SYNODICI.

3230

nem legislatoris nostri b. patris nostri benedicti viciniorem quam scripsit Eximius magister Joannes Nider, qui habetur apud Predicatores colonie in libro ubi habetur de reformatione vite cenobitice.

XXI. fol. 251. Cancellarius (Joh. Gerson) de contractibus. Initium: Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum &c. Adi, si placeat, Cod. XC. n. 23. Ad calcem haec notantur: *Jobannes Parisiensis ecclesie cancellarius dictus cognomine gerson sacre theologie professor eximius scripsit hoc opus ad instanciam prioris et conuentus domus maioris Carthusie in sabaudia. Anno domini 1420. Extat et Cod. alio. Vide Indicem.*

XXII. fol. 275. Ad sciendum que peccata sint magis minus uel maxime graua notentur infra scripta. Brevis Commentariolus huius exordii: *Quoniam veritas euangelica dicit Si vis ingredi vitam serua mandata. opus est noscere mandata dei &c.*

XXIII. fol. 278. Bernardi de Reyda et Gerardi (Terstegen) de Monte, qui anno 1480. obiit, Proff. Colonienstum Responsum ad Quaesitum Carthusianorum: *Quot Missas legere teneantur pro Legato annuorum LX. modiorum spelte. Ajunt, cum tot Modii non excedant totidem schudata domini philippi ducis Burgundie vix sufficientia pro decenti sustentatione unius honesti sacerdotis, posse eos admittere Legatum, si addicant duas missas cotidianas perpetuis temporibus celebrandas &c.*

XXIV. fol. 279. Ventilatio duarum Quaestionum: I. *Vtrum concedendum sit, licite plures eundem prebendas possidere.* Exponitur 10. Propositionibus, nec sine debitis restrictionibus. II. *Vtrum Crucisignaciones, benedictiones et coniurationes ad pellendos demones vel curandas infirmitates sint expedites licite et efficaces.* Adfirmatur adhibitis cautelis contra superstitionem et persuasionem, istiusmodi ex Opere operato prodesse.

XXV. fol. 284. Magistri Henrici, ut e calce praeoccupo, de Gorkam alias Gorichem Doctoris in theologia egregii viri Pastoris sancti Martini et vice Cancellarij Studij Colon. Responsum ad Quaestionem: *Vtrum diebus festiuis sit illicitum insistere labori aut exercicio operum corporalium.* Initium: *Quia materia de festorum obseruatione sub practica occurrit cotidiana &c.* Notatur hoc Scriptum in Bibl. Colon. Harzbemii p. 119. ubi de Nostro. Aliud illius nobis Cod. seq.

XXVI. fol. 288. p. 2. *Hic incipit pulcher dyalogus inter christum et cayn explicans causam damnacionis et salvacionis multorum.* Videtur ἀνεφαλος, incipit enim: *Inde poterant qui in inferno inferiori cruciabantur excitari videntes lucem &c.* Christi videlicet in Limbum Patrum descendentis, qua occasione, nescio quis, istud Colloquium commentus est.

XXVII. fol. 295. Collectanea quaedam de variis Materiis Theologicis, quorum praecipua: *De institutione Jeuniorum. De Ieiunio*

3231

C O D I C E S

3232

nio quadragesimali. De Ignorantia. De Hostia corporis Christi. De plenaria Remissione omnium peccatorum. De commemoratione omnium animarum. De Pace.

XXVIII. fol. 332. Collatio ad Clerum colon. per egregium et venerabilem dominum et magistrum Hermannum de Wartborgh decretorum doctorem facta in synodo ibidem An. 1462. die lune post inuocauit. Initium: *Et erit sicut populus sic sacerdos. Verba ista originaliter scripta sunt Ezech. 22. c. et Osee 4. Et ad presens in thematis materiam non anagogice sed literaliter exposita &c.* Oratio gravis, in qua exposito triplici Sacerdotum officio praelativo, activo et contemplativo inuehitur in triplex vitium Superbiae, Avaritiae et Luxuriae Autor, iterato argumento, nec iniquissimis temporibus defuisse, qui recti studium urgerent. Eodem tendunt Sermones Synodales sequentes:

XXIX. fol. 343. Sermo de Praelatorum dignitate et onere in illud: *Vae Pastoribus qui dispergunt &c. Jer. 23.* Initium: *Istud thema introduco per altam commissionem auctoritatem dignitatem et honorem sacerdotum &c.* II. Sermo ad Clerum. In illud: *Domus mea domus orationis vocabitur. Luc. 19.* Initium: *Reuerendissimi &c.* Quia beatus Ambrosius in primo libro de officiis Plures dicit se uidisse &c. III. In illud: *Elegit nos ante mundi constitutionem. Ad Ephes. c. 1.* Initium: *In quibus uerbis tangitur sacerdotalis dig-*

nitas &c. Nulli horum Sermonum Autoris nomen additur.

XXX. fol. 370. Sermo de Sanctis. In illud: *Laudate dominum in Sanctis ejus. Ps. ult.* Initium: *Laus secundum aristotelem primo rethorice est sermo elucidans &c.*

XXXI. fol. 375. Sermo in Visitatione cujusdam Coenobii O. S. B. habitus. In illud: *Pax huic domui &c.* Initium: *De quotidianis allegacionibus super sedere curavi, cum et in ipsis modica sit edificatio &c.*

XXXII. fol. 381. Sermo synodalis. In illud: *Pax vobis &c. Venerabiles patres — sicuti testante sacro eloquio didicimus quod nato domino &c.*

XXXIII. fol. 390. Collatio facta ad clerum Wormatiensium. Anno domini M^o. CCCC^o. XXXVI^o. in synodo Bartolomei per Antonium de Cuba decretorum doctorem. Ita in calce. Thema: *Bene omnia fecit. Marci 7.* Initium: *Venerabiles — super quos sic in eodem spiritu coadunatos &c.* De Autore nil praeterea reperio.

XXXIV. fol. 398. Sermo habitus in quodam Capitulo Provinciali O. S. B. In illud: *Multa habeo vobis dicere. Job. 16.* Initium: *Reuerendi — aduos mihi sermo presens qui ad hunc locum &c.* Inculcat trium Votorum observantiam.

XXXV. fol. 403. Sermo in visitatione Coenobii cujusdam O. S. B. In illud: *Apprehendite disciplinam ne quando irascatur dominus &c. Ps. 20.* Initium: *Honorabiles viri domine decane — ad vos mihi ser-*

3233

S Y N O D I C I.

3234

sermo presens cum sitis ipsi per me tanquam prelatum et superiorem vestrum immediatum visitandi &c. Autor eruitur ex verbis mox sequentibus: non mihi ut Reynbero sed abbati Hornbacensi, quod Coenobium in Ditione Bipontina ad Lotbaringiae fines est.

XXXVI. fol. 412. Varia ad Institutum et Consuetudines O. S. B. pertinentia, praemissa Bulla Martini V. contra Simoniacos data Mantue VIII. kal. Dec. anno Pontif. secundo.

XXXVII. fol. 420. Theodori de Monasterio Opusculum ad S. Aegidii Colon. Moniales de Redibus annuis in suum usum convertendis, ut jam alias, docente Indice.

DCCCCLXIV.

547 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 239. 4. caractere minuto difficili exaratus et quondam pertinens ad Coenobium Ord. Cist. Vallis S. Petri in Heisterbach Collectanea exhibet ordine sequenti: I. Varia de Potestate ecclesiastica e Scriptis Job. Gersonis, et Conciliis Basil. Constant. et Nicæno excerpta.

II. fol. 13. Alexandri domo Fassitelli patria a S. Elpidio Marchiae Anconitanae Oppido Ord. Erem. S. Aug. Prioris Generalis et Episcopi Melfetani Libri II. de Ecclesiastica Potestate. Proemium incipit: Sanctissimo in christo patri ac Reuerendissimo domino domino Johanni (XXII.) diuina prouidentia sacrosancte Romane ac vni-

uersalis ecclesie Summo pontifici. frater alexander de sancto Elpidio fratrum beremitarum ordinis sancti Augustini theologicæ facultatis professor licet inutilis et indignus cum summa reuerencia deuota pedum oscula beatorum. Presens opusculum clementissime pater de ecclesiastica potestate ex dictis catholicorum Doctorum Collegum &c. Uterque Liber Capitibus X. definitur, potiusque de Pontificia quam de Ecclesiastica Potestate inscribi debebat, ita liberalissime in Pontificem congeruntur omnia. L. I. C. 6. et 7. probatur, Potestatem Jurisdictionis in Episcopis et Curatis non esse immediate a Christo. L. II. magna pars infumitur in adferenda Pontifici Plenitudine Potestatis in Temporalibus. Verum Liber hic in Codice valde imperfectus est. Totum tamen Opus studio Angeli Vantii Erem. Aug. vulgatum esse Arimini 1624. testatur Felix Ossingerus in Bibl. Ordinis p. 312. ubi et Autorem nostrum ad plures abiisse disces a. 1325.

III. fol. 33. Excerpta varia, videlicet ex Augustino Triumpho dicto de Ancona pariter O. Erem. Aug. de Potestate Ecclesiastica, libro saepius edito. De Friderico II. Imp. volente auferre temporalia ab Ecclesia, ejusque hac de re ad Principes Epistola, quae est in Editis L. I. 2. Ex Pastoralis Ade de Marisco. Puto Franciscani hujus Angli intelligi Epistolam ad Sewallum Archiep. Eborac. datam, ut ait Tannerus in Bibl. p. 8. a. 1253. quamvis iuxta alios